COLLEZIONE

DI

OPUSCOLI DANTESCHI

INEDITI O RARI

DIRETTA

DA G. L. PASSERINI

VOLUME DODICESIMO



CITTÀ DI CASTELLO

S. LAPI TIPOGRAFO-EDITORE

1894

EDOARDO ALVISI

NOTA

AL CANTO XI (VERSI 43-75)

DEL "PARADISO„

DI

DANTE ALIGHIERI

CITTÀ DI CASTELLO
S. LAPI TIPOGRAFO-EDITORE

1894

NOTA

AL CANTO XI (v. 43-75) DEL "PARADISO"

Intra Tupino, e l'acqua che discende
  Del colle eletto del beato Ubaldo,
  Fertile costa d'alto monte pende,
Onde Perugia sente freddo e caldo
  Da porta Sole, e dirietro le piange
  Per greve giogo Nocera con Gualdo.
Di questa costa, là dov'ella frange
  Più sua rattezza, nacque al mondo un sole,
  Come fa questo tal volta di Gange.
Però chi d'esso loco fa parole
  Non dica Ascesi, chè direbbe corto,
  Ma Oriente, se proprio dir vuole.
Non era ancor molto lontan dall'orto,
  Ch'e' cominciò a far sentir la terra
  Della sua gran virtude alcun conforto;
Chè per tal donna giovinetto in guerra
  Del padre corse, a cui, come alla morte,
  La porta del piacer nessun disserra.
E dinnanzi alla sua spirital corte,
  Et coram patre le si fece unito;
  Poscia di dì in dì l'amò più forte.
Questa, privata del primo marito,
  Mille cent'anni e più dispetta e scura
  Fino a costui si stette senza invito;
Nè valse udir che la trovò sicura
  Con Amiclate, al suon della sua voce,
  Colui ch'a tutto il mondo fe' paura;

Nè valse esser costante nè feroce,
  Sì che, dove Maria rimase giuso,
  Ella con Cristo salse in su la croce.
Ma perch'io non proceda troppo chiuso,
  Francesco e Povertà per questi amanti
  Prendi oramai nel mio parlar diffuso.

Nell'inventario antico di Assisi, compilato nel 1381, fra i libri che la basilica conservava, vi era questo che così si descrive: " Regula et testamentum cum dictis beati Francisci, Eloquia fratris Egidii, Commercium beati Francisci cum domina Paupertate etc. in papiro sine postibus. Cujus principium est Nicholaus servus servorum Dei, Finis vero 13ª Questione quesitum ". Codice che oggi invano si desidera, anche da chi vorrebbe, leggendo uno scritto del tempo, intendere le pitture di Giotto.

Vissuto tra le contese che divisero l'Ordine per tutto il trecento, a Dante dispiacciono tanto Matteo d'Acquasparta quanto Ubertino da Casale (*Paradiso*, XII, 124), perchè l'uno dalla scrittura ritraeva troppo larghe sentenze e troppo strette l'altro. Benigno a lui più sembra Bonaventura da Bagnorea, del quale mette in versi il sunto della leggenda (*Id.*, XI, 79-108). Ma pure egli, nelle consolazioni del savio (Convito, IV, 13) ben piccolo esempio avrebbe trovato della sicura povertà, se da quei frati iracondi o alla predica delle piazze o alla lettura dei refettorj egli non avesse udito il nuovo prodigio.

Il testo non mai pubblicato del *Commercium paupertatis* è tratto da tre codici ed ha per riscontro quel che ne riporta l'*Arbor,* che Ubertino da Casale finì di scrivere nel 1305. Ne è autore fra Giovanni da Parma, stato ministro generale dell'Ordine dal 1247 al 1257, come così attestano le mss. *Chronicae generalium ministrorum:* " Hic generalis frater Johannes quendam librum devotum composuit quem intitulavit *Commertium paupertatis,* in quo qualiter beatus Franciscus paupertatem quesivit et reperit et eam invitavit et desponsavit, quibusdam devotis parabolis et enigmatibus declaravit „.

FR. JOHANNIS DE PARMA

COMMERTIUM PAUPERTATIS

Incipit Sacrum Commertium beati Francisci cum domina Paupertate.

Inter ceteras preclaras et precipuas virtutes que in homine locum et mansionem preparent Deo ac ad ipsum eundi perveniendique viam excellentiorem et expeditiorem ostendunt sancta Paupertas prerogativa omnibus eminet et singulari gratia aliarum titulos antecellit, quum fundamentum omnium virtutum et custos ipsa est et inter illas virtutes evangelicas loco merito et nomine principatur. Non est proinde quod cetere timeant descensum pluvie ed adventum fluminum et ventorum flatum ruinam comminantem si super hanc basem fuerint stabilite.

Et merito quidem cum filius Dei dominus virtutum et rex glorie speciali dilectione hanc adamaverit quesierit inveniritque operans salutem in medio terre. Hanc in exordio predicationis sue velut lumen fidei portum intrantibus posuit et tanquam lapidem in fondamento domus primo fecit et regnum celorum quod alie

virtutes in promissione capiuntur ab ipso hec de ipso sine dilatione aliqua investitur. Beati, inquit, pauperes spiritu quoniam vestrorum est regnum celorum. Digne prorsus est regnum cetorum qui nichil possidet de terrenis voluntate propria spirituali intentione et desiderio eternorum. Vivat necesse est de celestibus qui de terrenis non curat et dulces micas que cadunt de mensa angelorum sanctorum in presenti exilio felici palato deglutiat qui terrenis omnibus renuntians omnia velut stercora reputat ut gustare mereatur quam dulcis et suavis est dominus. Que vera regni celorum inventio est et eterne possessionis in eodem regno securitas ac future beatitudini quedam prelibatio sancta.

Propterea beatus Franciscus tanquam verus imitator et discipulus salvatoris ex conversionis sue principio ad sanctam paupertatem querendam inveniendam atque tenendam omni studio omni desiderio omni deliberatione se dedit, nil dubitans adversi, nil sinistri timens nullum subterfugiens laborem, nullam corporis declinans angustiam, si tandem sibi optio daretur ut posset pervenire ad eam cui dominus tradidit claves regni celorum. Cepit sedule velut curiosus explorator circuire vicos et plateas civitatis diligenter querens quem diligit anima sua. Interrogabat stantes, percunctabatur advenientes sic dicens — Num quam diligit anima mea vidistis?

Et erat verbum istud absconditum eis et velut barbarum, non intelligentes ipsum dicebant ei — O homo nescimus quid loqueris. Loquere nobis in lingua nostra et respondebimus tibi. Non erat in lingua illa filis Adam vox nec sensus, ut de paupertate vellent conferre ad invicem aut loqui. Oderant eam vehementer sicut et hodie faciunt, nec poterant de ipsa querenti quicquis pacifice loqui. Propterea velud ignoto respondebant et de quesitis ad se nescire testantur. Ibo, inquit beatus Franciscus, ad optimates et sapientes et loquar cum eis: ipsi enim cognoverint viam domini et iudicium domini. Quo facto ipsi durius responderunt ei dicentes — Que nova est hec doctrina quam infers auribus nostris? Paupertas enim quam queris semper tibi sit et filiis et semini tuo post te. Nobis autem sedet delitiis perfrui et habundare divitiis, quum exiguam et cum tedio est tempus vitae nostre, et non est refugium in fine hominis. Nichil enim melius cognovimus quam letari manducare et bibere donec vivimus. Beatus autem Franciscus hec audiens mirabatur in corde suo et gratias agens Deo dicebat — Benedictus tu domine Deus, qui abscondisti hanc a sapientibus et prudentibus et revelasti eam parvulis. Ita pater quia sic placitum est ante te domine pater et dominator vite mee ne derelinquas me in concilio eorum nec sinas me cadere in illa ex-

probatione, set da michi tuam gratiam invenire quod quero quia servus tuus sum et filius ancille tue.

Egressus itaque de civitate beatus Franciscus concito gradu venit ad quemdam campum, in quo de longe prospiciens vidit duos senes sedentes gravi merore confectos, quorum unus sic loquebatur. — Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos? Et alius ei dicebat — Nichil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamus hiis contenti sumus. Cumque pervenisset beatus Franciscus ad eos dixit eis — Indicate michi, obsecro, ubi domina Paupertas habitet ubi pascat ubi cubet in meridie quoniam enim amore langueo. At illi respondentes dixerunt — Bone frater nos hic consedimus per tempus et tempora et dimidium temporis, et frequenter vidimus eam transire quum plures querebant eam. Multi quidem comitabantur eam, sed sepe sola revertebatur et nuda nullis ornata monilibus nullis decorata comitibus nullis vestibus circumdata. Flebat enim amarissime atque dicebat — Filii matris mee pugnaverunt contra me. Et nos dicebamus ad eam — Patientiam habe quoniam recti diligunt te Et nunc, o frater, ascende in montem magnum et altum ubi constituit ei dominus. Habitat

enim in montibus sanctis, quia diligit eam dominus super omnia tabernacula Jacob. Gigantes non potuerunt attingere vestigia pedum eius, et aquile non volaverunt usque ad collum eius. Paupertas res est singularis quam omnis homo contemnit eo quod non invenitur in terra suaviter viventium, propterea absconditum est ab oculis eorum. Volucres celi latet. Deus intelligit viam eius, et locum eius ipse novit. Si tu ergo, o frater, vis pervenire ad eam exue te vestibus iocunditatis tue et depone omne pondus et circumstante peccatum, quia nisi nudus fueris non poteris ad eam ascendere que in tantam se colligit altitudinem. Sed quia benigna est, facile videtur ab hiis qui diligunt eam et invenitur ab iis qui querunt illam. Cogitare de illa, frater: sensus est consumatus et qui vigilaverit propter illam satis erit securus. Assume sotios fideles, ut in montis ascensu utaris consilio ipsorum et auxilio fulciaris, quia ve soli, si ceciderit ab altero fulcietur. Tantorum igitur habito consilio, venit beatus Franciscus et elegit quosdam sotios sibi fideles cum quibus properans devenit ad montem. Et dixit fratribus suis — Venite ascendamus ad montem domini et ad domum domine Paupertatis, ut doceat nos vias suas et ambulemus in semitis eius. Cumque ex omni parte considerarent montis ascensum propter nimiam altitudinem et asperitatem eius, quidam eorum

loquebantur dicentes — Quis ascendet in montem istum et ad summitatem eius quis perveniet? Quod intelligens beatus Franciscus dixit eis — Arta est via, fratres, et angusta porta que ducit ad vitam et pauci sunt qui inveniant eam. Confortamini in domino et in potentia virtutis eius quia facile erit nobis omne difficile. Deponite sarcinas proprie voluntatis et onera peccatorum abicite et accingimini tanquam viri potentes. Posteriora obliti ad anteriora vos pro posse extendite. Dico vobis quod quemcumque locum calcaverit pes vester, vester erit. Etenim est spiritus ante faciem nostram Christus dominus qui trahet nos ad montis cacumina in vinculis caritatis. Mirabilis est, fratres, desponsatio Paupertatis, sed facile poterimus ipsius frui amplexibus, quia facta est quasi vidua domina gentium, vilis et contemnibilis omnibus regina virtutum. Nullus est qui e regione clamare audeat, nullus qui se nobis opponat, nullus qui hoc salutare commertium prohibere valeat. Omnes amici eius spreverunt illam, et facti sunt ei inimici.

Et hijs omnibus dictis ceperunt omnes simul post sanctum Franciscum ambulare. Cumque facillimo gressu properarent ad summa, ecce domina Paupertas in ipsius montis vertice stans respexit per montis devexa. Et videns hos viros tam potenter ascendentes imo volantes, mirata est vehementer et dixit — Qui sunt isti qui

ut nubes volant et quasi columbe ad fenestras suas? Diu enim est quod tales non vidi nec sic expeditos omnibus abiectis oneribus intuita sum. Loquar ergo ad eos qui in corde meo versantur, nec sicut ceteri tante ascensionis peniteant, circumadiacentes nec intuentes abyssos. Scio illos me apprehendere non posse sine meo consensu, set erint michi memores coram patre meo celesti, si salutis consilium dedero eis. Et ecce vox facta est ad eam dicens — Noli timere filia Syon quia isti sunt semen cui benedixit dominus et in caritate non ficta elegit. Sicque in solio paupertatis sue domina Paupertas se reclinans prevenit eos in benedictionibus dulcedinis et dixit eis — Que sit causa adventus vestri dicite michi, fratres, et quare tam festinanter venitis de valle miserorum ad montem claritatis. An forte me queritis? Que ut videtis sum paupercula tempestate convulsa absque ulla consolatione?

At ipsi responderunt dicentes — Ad te venimus domina nostra, obsecramus suscipe nos in pace. Servi effici cupimus domini virtutum, quia ipse est rex glorie. Audivimus te reginam fore virtutum et utcumque experimento didicimus. Propterea tuis pedibus pervoluti supplicamus humiliter ut digneris esse nobiscum et sis nobis via perveniendi ad regem glorie, sicut fuisti via sibi quando dignatus est visitare sedentes in tenebris et umbra mortis oriens ex alto. Scimus

enim quia tua est potentia, tuum regnum. Tu es super omnes virtutes a rege regum regina et domina constituta, tantum fac nobiscum pacem et salvi erimus, ut per te nos recipiat qui per te nos redemit. Si decreveris nos salvare continuo liberabimur. Nam ipse rex regum et dominus dominantium creator celi et terre concupivit spem et decorem tuum. Cum esset rex in accubitu suo dives et gloriosus in regno suo, reliquit domum suam, dimisit hereditatem suam nam gloria et divitie in domo eius, sicque a regalibus sedibus veniens dignantissime te quisivit. Magna ergo est dignitas tua et altitudo tua incomparabilis, cum relictis omnibus angelorum delitiis et immensis virtutibus de quibus magna erat copia in excelsis, venit te querere in inferioribus partibus terre, iacentem in luto fecis in tenebrosis et umbra mortis. Cunctis viventibus odiosa non modicum existebas et omnes te fugiebant, et prout poterant effugabant. Et licet aliqui te fugere omnino non possent, non immo minus eras eis odibilis et exosa.

At postquam dominator dominus venit te suscipiens in se ipso, exaltavit caput tuum in tribubus populorum, et quasi sponsam decoravit te corona super altitudinem nubium te substollens. Quamvis certe adhuc te innumeri detestent nescientes virtutem tuam et gloriam tuam, tibi tamen nichil deperiit, quia libere habitas in mon-

tibus sanctis tuis in firmissimo habitaculo glorie Christi. Ita amator factus forme tue filius summi patris tibi soli in mundo adherens in omnibus fidelissimam te probavit. Prius enim quam de luminosa propria veniret ad terras, preparasti locum sibi congruentem, thronum in quo sederet et talamum in quo quiesceret, pauperrimam scilicet virginem de qua ortus huic mundo effulsit. Nato certe fideliter occurristi, ut in te non in delitiis locum sibi placitum inveniret. Posuit eum, inquit evangelista, in presepio; quia non erat ei locus in diversorio. Et sic semper inseparabiliter comitata es ipsum, ut in omni vita sua quando in terris visus est et cum hominibus conversatus est: cum vulpes foveas haberent et volucres celi nidos, ipse non habuerit ubi caput suum reclinaret. Deinde cum aperuerit os proprium ad docendum, qui ora olim aperuerat prophetarum, inter multa qui locutus est, te primo laudavit, te primo extulit dicens — Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum celorum. Jam vero cum sancte predicationis sue glorioseque conversationis in salutem humani generis testes quosdam eligeret necessarios, eligit certe non divites mercatores sed pauperes piscatores ut tanta extimatione ostenderet te fore ab omnibus diligendam. Tandem vero ut manifesta sit omnibus bonitas tua, magnificentia tua, quum omnibus virtutibus antecellis quum

sine te nulla potest esse virtus, quum regnum tuum non est de hoc mundo sed de celo, sola tunc regi glorie adhesisti cum omnes electi et dilecti eius ipsum reliquerunt. Tu autem fidelissima sponsa, amatrix dulcissima nec ad momentum descessisti ab eo. Immo tunc sibi magis adherebas, cum magis eum ab omnibus contemni videbas. Nam si cum eo non fuisses nunquam sic ab omnibus despici potuisset. Secum eras in convitiis Iudeorum, in insultationibus phariseorum, in exprobrationibus principum sacerdotum, secum in colaphis, secum in sputis, secum in flagellis. Reverendus ab omnibus, subsannatus ab omnibus erat, et tu solatiabaris ei. Non reliquisti eum usque ad mortem, mortem autem crucis. Et in ipsa cruce, denudato iam corpore extensis brachiis manibus et pedibus confixis, secum patiebaris, ita ut nichil in eo te gloriosius appareret. Denique signaculum regni celorum ad signandum electos, quando in celum abiit, tibi reliquit ut quicumque ad regnum suspirat eternum ad te veniat a te petat per te introeat, quia nisi signatus sit signaculo tuo, ad regnum quisquam intrare non potest. Ergo domina compatere nobis, signa nos signaculo gratie tue. Quis enim tam hebes est, tam insipiens ut te toto corde non diligat, que sic ab altissimo es electa et ab eterno preparata? Quis te non revereatur et honoret, quando ille quem

adorant universe celorum virtutes, tanto honore te decoravit? Quis enim vestigia pedum tuorum non libenter adoret cui se dominus maiestatis tam humiliter inclinavit, tam sotiabiliter iniunxit, tanta caritate adhesit? Obsecramus ergo per ipsum et propter ipsum, domina, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus sed a periculis libera nos semper gloriosa et in eternum benedicta.

Ad hec domina Paupertas corde letabundo, exilarata facie, voce dulci respondet dicens — Fateor vobis, fratres et amici karissimi, quod ex quo loqui cepistis, repleta sum letitia, superhabundo gaudio, attendens fervorem vestrum, sciens tam sanctum propositum vestrum. Facta sunt mihi verba vestra super aurum et lapidem pretiosum multum et dulciora super mel et favum. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus sanctus qui loquitur in vobis, et ipsa unctio docet vos de omnibus qui locuti estis de rege altissimo, qui sola sua gratia assumpsit me in dilectam sibi, auferens obprobrium meum de terra, et inter celorum proceres glorificavit me.

Cupio propterea, si vos audire non gravat, longam sed non minus utilem mei status recensere vobis ystoriam, ut discatis quomodo vos oportet ambulare et placere Deo caventes retro aspiciendi notam, qui manum ad aratrum mictere vultis. Non sum rudis sicut multi putant sed anti-

qua satis et dierum numero plena sciens rerum dispositiones creaturarum varietates temporum mutabilitates. Novi fluctuationes cordis humani partim experientia temporum, partim subtilitate nature, partim gratie dignitate. Fui quidem ipsa in paradiso Dei ubi erat homo nudus, imo in homine et cum homine nudo deambulans totam illam spatiosam paradisum, nichil timens, nichil dubitans, et nichil adversi suspicans. Putabam cum eo esse in sempiternum, quoniam iustus bonus sapiens ab altissimo est creatus et positus in amenissimo et pulcerrimo loco. Eram gaudens nimis et ludens coram eo omni tempore, quia nichil proprietatis habens totus de Deo erat. Set, heu, subijt inopinatum malum ab initio creature penitus inauditum! Cum infelix ille qui in decore suo olim perdidit sapientiam serpentem ingressus qui in celo stare non potuit fraude aggressus est eum, ut sicut ipse prevaricator efficeret divini mandati. Credidit miser male suadenti acquievit consensit et oblitus Dei creatoris sui, primum imitatus est prevaricatorem, imo transgressorem. Erat primo nudus, dicente scriptura de ipso — Peccante vero ipso, cognovit se nudum esse et per erubescentia currens ad folia ficuum sibi perizomata fecit.

Videns ergo sotium meum transgressorem effectum et opertum foliis, quia aliud non ha-

bebat, elongata sum ab eo, et stans a longe lacrimabili vultu ipsum cepi respicere. Expectabam eum qui salvam me faceret a pusillanimitate spiritus et tempestate tanta. Et factus est repente de celo sonus totam concutiens paradisum, et cum eo lux splendidissima de celo emissa est. Et respiciens vidi dominum maiestatis deambulantem in paradiso ad auram post meridiem, gloria inenarrabili et indicibili fulgentem. Comitabantur autem eum multitudines angelorum voce magna clamantium ac dicentium — Sanctus sanctus sanctus dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria tua. Milia milia ministrabant ei et decies centena milia assistebant ei. Cepi ergo, fateor, pavens et tremens mentis tota stupore et horrore deficere et corpore tepens corde vero palpitans de profundis clamavi dicens — Domine miserere, domine miserere, non intres in iudicium cum servo tuo quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et dixit mihi — Vade abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio mea. Statimque vocavit sotium meum, dicens — Adam ubi es? At ipse — Vocem tuam audivi et timui eo quod nudus essem et abscondi me. Vere nudus qui nudus de Jerusalem in Jerico descendens incidit in latrones, qui ante omnia expoliaverunt eum, bona nature amissa similitudine creatoris. Ipse autem rex altissimus, sed non

minus benignissimus, expectavit penitentiam eius, data sibi occasione revertendi ad eum. Verum miser declinavit cor suum in verba prorumpens malitie ad excusandas excusationes in peccatis. Sic et culpam auxit et accumulavit penam, thesaurizans sibi iram in die ire et indignationis iusti iudicij Dei. Non pepercit enim sibi nec semini suo post se, terribili maledictioni mortis adiciens. Judicantibus vero omnibus qui assistebant eiecit eum dominus de paradiso voluptatis, iusto sed non minus miserendi iudicio. Et ut reverteretur dixit ei temperans multum maledictionis sententiam. Fecit ei tunicas pelliceas, mortalitatem eius in eis designans, vestibus ignorantie expoliatis. Videns ergo sotium meum indutum pellibus mortuorum, ex toto recessi ab eo qui ad multiplicandos labores unde dives fieret proiectus erat. Ibam proinde vaga et profuga super terram plorans et eiulans nimis, et ab eo tempore non inveni ubi requiesceret pes meus. Abraam, Isaac et Jacob et ceteris accipientibus in promissione divitias et terram fluentem lac et mel, in omnibus istis requiem quesivi et non inveni. Cherub. cum flammeo gladio atque versabili stante ante ianuam paradisi quoadusque veniret altissimus de sinu patris qui me dignantissime requisivit. Qui cum adimpletis omnibus que edicistis redire vellet ad patrem suum qui miserat eum, fecit de me

testimonium electis suis et irrefragabili iudicio confirmavit dicens — Nolite possidere aurum nec argentum nec pecuniam. Nolite portare sacculum nec peram nec panem nec virgam nec calciamenta, nec duas tunicas habeatis. Qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimicte ei et pallium. Et qui te angariaverit mille passus vade cum illo et alia duo. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra ubi erugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furant. Nolite solliciti esse dicentes — Quid manducabimus aut quid bibemus aut quomodo operiemur? Nolite solliciti esse in crastinum, crastinus est dies sollicitus enim sibi ipsi, sufficit diei malitia sua. Nisi quis renuntiaverit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus et cetera que in eodem libro scripta sunt.

Hec omnia apostoli et omnes discipuli cum summa diligentia observaverunt nec ad horam pretermiserunt aliquid de omnibus que a magistro suo audierunt. Impleverunt ipsi fortissimi milites iudices orbis terre salutare mandatum, illud idem predicantes ubicumque domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. Ardebant in caritate affluentes ubicumque pietatis affectu et ommium necessitatibus se impendebant, omni vigilantia curantes ne diceretur de ipsis — Dicunt et non faciunt. Unde

unus eorum fidentissime loquebatur sic dicens — Nichil audeo loqui aliquid eorum que per me non efficit Christus in factis et verbis et virtute spiritus sancti. Et alius quidem sic — Argentum et aurum non est michi. Et sic omnes in vita et in morte me summis preconiis extulerunt. Auditores eorum omnia adimplere curabant que a magistris suis annuntiabantur eis et vendentes possessiones et substantias suas dividebant omnibus prout unicuique opus erat. Erant omnes pariter et habebant omnia comunia collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem.

Ideo Dominus augebat cotidie qui salvi fierant in idipsum. Tempore quidem longo horum dictorum veritas permansit apud multos precipue cum adhuc sanguis pauperis crucifixi in eorum memoria calidus esset, et calix passionis eius preclarus inebriaret corda eorum. Nam si qui ad horam me pro nimia acerbitate relinquere temptarentur, vulnerum domini recordantes per quem patebant viscera pietatis de temptatione se graviter puniebant et mihi adherebant fortius et amplexabantur ardentius. Ego vero cunctis ineram, eorum memorie eterni regis pastionis dolores semper inculcans. Itaque verbis meis confortati non parum ferrum lacerare corpus proprium libenter suscipiebant, et alacriter de carne sua sacrum cernebant manare

cruorem. Durans duravit victoria ista usque ad tempora longa, ita ut singulis diebus signaculo summi regis milia signarentur. Sed heu! post modicum facta est pax, et pax illa gravior omni bello. In cuius principio pauci sunt signati, in medio pauciores, in fine paucissimi. Et nunc certe ecce in pace mea amaritudo mea amarissima in qua omnes me fugiunt, omnes me fugant, a nullis requiror, ab omnibus relinquor. Pax michi est ab inimicis sed non a domesticis, pax ab externis sed non a filiis. Et ego quidem filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Erat in tempore illo quando splendebat lucerna domini super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris, dyabolus in plurimis qui mecum erat seviens erat, mundus alliciens erat, et caro concupiscens, ita ut multi ex eis diligerent mundum et ea que in mundo sunt.

Sed omnium virtutum consumatio domina scilicet Persecutio cui dominus regni celorum tradidit sicut et michi erat mecum in omnibus fidelis adiutrix, fortis auxiliatrix, consolatrix prudens, que si quando videbat aliquos tepescere caritate celesti vel ad paululum oblivisci in terrenis utrunque cor ponere, statim intonabat, statim admonebat exercitum, statim filiorum meorum implebat facies ignominia ut quererent nomen domini. Nunc autem reliquit me soror mea

et lumen oculorum meorum non est mecum quia dum quies a persecutionibus facta est filiis, domestico et intestino bello crudelius lacerantur invicem invidentes, invicem provocantes in acquisitione divitiarum et delitiarum effluxu. Intervallo siquidem temporis ceperunt aliqui respirare et voluntate viam rectam ambulare ceperunt, quam quidam tempore illo ambulaverunt necessitate compulsi. Venerunt hij omnes ad me multis precibus ac lacrimis assidue rogitantes ut inirem cum eis fedus perpetue pacis, essemque cum eis sicut olim fui in diebus adolescentie mee, quando erat omnipotens mecum et in circuito meo pueri mei. Fuerunt hij viri virtutum viri pacifici sine querela ante Deum persistentes in amore fraternitatis quousque steterunt in carne, spiritu pauperes, rebus inopes, sanctitate vite divites, celestium carismatum donis locupletes, spiritu ferventes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, mites et humiles corde, servantes spiritus pacem, morum concordiam, coherentiam animorum, conversationis unitatem iocundam. Viri denique devoti Deo et angelis grati, amabiles hominibus, sibi rigidi, misericordes aliis, actu religiosi, incessu modesti, vultu ylares, corde graves, humiles in prosperis, magnanimes in adversis, in convivio sobrii, in vestitu parcissimi, in somno rarissimi, verecundi et timorati omnium bonorum caritate conspicui. Erat cum

hiis conglutinata anima mea, et unus spiritus et una fides erat in nobis.

Surrexerunt denique in nobis qui non erant ex nobis quidam filii Belial loquentes vana operantes iniqua dicentes se pauperes esse cum non essent, et me quam dilexerant toto corde gloriosi viri de quibus locuta sum spreverunt et maculaverunt, sequentes viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, homines corrupti mente et a veritate privati, existimantes questum esse pietatem, homines assumentes sancte religionis habitum, novum hominem non induerunt sed veterem palliaverunt. Detrahebant senioribus suis et eorum qui sancte conversationis institutores fuerunt, vitam et mores in occulto mordebant vocantes eos indiscretos immisericordes crudeles, et me quam assumpserant dicebant odiosam insipidam turpem incultam exanguem et mortuam, emula mea summo studio sic gerente, que ovis assumens habitum dolositate vulpis occultabat lupinam rabiem. Hec est Avaritia que dicitur immoderata cupiditas acquirendi vel retinendi divitias. Et vocabant nomine sanctiori ne omnino viderentur me derelinquere, cuius munere de pulvere surrexerant et de stercore erant erecti: loquebantur de ea michi pacifice sed super iram dolose cogitabant. Et licet non possit civitatis supra montem posite abscondi desolatio, tamen imposuerunt ei

nomen discretionis vel prudentie, cum talis discretio potius dicendo esset confusio et providentia bonorum omnium pernitiosa oblivio. Et dicebant ad me — Tua est potentia, tuum regnum, ne timeas. Bonum est insistere operibus pietatis et vacare fructibus bonis, egenis tribuere, pauperibus aliquid dare. Et dicebam eis — Non contradico, fratres, quod hoc bonum non sit quod dicitis vos, sed videte, obsecro, vocationem vestram. Nolite aspicere retro. Nolite de tecto descendere, tollere aliquid de domo. Nolite de agro reverti retro, tollere vestimentum. Nolite involvi negotiis secularibus. Nolite implicari rursus coinquinationibus mundi et corruptionibus quas fugistis per cognitionem salvatoris. Necesse est enim ut hiis rursus implicati supererentur, fiantque posteriora eorum deteriora prioribus, specie pietatis retrorsum eundo ab eo quod illis traditum est e sancto mandato. Cumque omnibus ista proponerem, facta est dissentio inter eos. Alii dicebant quod — Bona es et bene dicis. Alij autem non, sed seducere nos vult, ut illa imitemus: misera est et omnes nos secum miseros esse desiderat.

Non potuit emula mea expellere me de finibus eorum tempore illo, quia adhuc multi inter eos magni fervoris et magne caritatis viri erant in principio conversionis eorum, celos pulsantes clamoribus et penetrantes orationum instantia se

ipsos excedentes in contemplatione, contempnentes omnia que terrena erant. Tunc precepit michi creator omnium et qui creavit me dicens. — In Jacob inhabita et in Israel hereditare et in electis meis micte radices. Ego vero hec omnia diligentissime faciebam. Cumque sic essem cum eis et via regia incederem penitus habebant propter me claritatem ad turbas et in conspectu potentium admirabiles erant. Honorabantur ab hominibus et sanctificabantur ab eis. Ceperunt ipsi moleste ferre sanctitatis nomen et recordantes quod dixit filius Dei — Gloriam ab hominibus non recipio, oblatam gloriam penitus recusabant. Ambulantibus vero ipsis in tanto fervore dilectionis Christi, Avaritia nomen discretionis assumens cepit dicere ad illos — Nolite sic vos rigidos ostendere hominibus nec honorem eorum sic contempnatis sed ostendite vos affabiles eis et oblatam gloriam nolite exterius respuere, sed interim id summopere facite. Bonum est habere amicitias regum, notitias principum, familiaritates magnatorum, quia dum ipsi sic vos honorant et venerantur, dum sic vobis assurgunt et occurrunt multi ad eorum exemplum qui hoc viderint ad Deum facilius convertuntur. Ipsi vero videntes profectum, acceptaverunt consilium, sed non custodientes me a laqueo posito iuxta viam, gloriam et honorem demum amplexati sunt toto corde. Tales se fore intus existimabant quales

predicabantur foris, ponentes gloriam suam in ore laudantium, sicut fatue virgines in vendentibus oleum et servientes in terra. Homines vero qui tales eos esse putabant interius, quales exterius videbantur, bona sua libenter offerebant in remissione peccatorum suorum. Que in principio ipsi velut stercora omnia reputabant dicentes — Nos pauperes sumus et semper esse desideramus, non vestra desideramus sed vos. Habentes autem alimenta et quibus tegamus, hiis contenti sumus, quia vanitas vanitatum et omnia vanitas. Propterea devotio hominum in eis cotidie crescebat magis, ita ut multi eorum munera sua omnia minus diligerent quam a sanctis sic videbant ea contempni. Interea illa barbara inimica mea hec videns cepit vehementer irasci et frendere dentibus suis et tacta dolore cordis intrinsecus dixit — Quid faciam? ecce totus mundus post eam abiit. Assumam, inquit, michi nomen providentie et loquar ad cor eorum si forte audiant et quiescant. Et fecit sic verbis humilibus dicens ad eos — Quid hic statis tota die otiosi, nichil in posterum providentes? Quid obeesset vobis habere necessaria vite dum a superfluis parcetis? Cum omni enim pace et quiete possetis vestram et ipsorum operari salutem si ad votum cuncta supeterent, que vobis omnino expediunt. Dum tempus habetis vobis et posteris providete, quia homines retrahent ma-

nus a primis datis, a solitis donis. Bonum esset nobis semper sic esse, sed id penitus non valetis cum cotidie vos augeat dominus in idipsum. Numquid non acceptaret dominus, si haberetis quis conferre possetis egenis et essetis memores pauperum, cum ipse dicat — Beatius est magis dare quam accipere. Cur non recipitis bona que offeruntur vobis ut non fraudetis dantes eterna mercede? Non est iam quid vos timere oporteat a contubernio divitiarum cum eas pro nichilo reputetis. Non est in rebus vitium sed in animo, quia vidit Deus cuncta que fecerat et erant valde bona. Bonis ergo omnia bona sunt, omnia serviunt eis, et pro ipsis omnia facta sunt. O quanti bona habentes male ipsa expediunt, que si vos haberetis converteretis in bonum usum, quia sanctum est propositum vestrum, secundum desiderium vestrum. Non est vestra voluntas proprios ditare parentes, quia ipsi satis divites sunt, sed quia dum haberetis necessaria honestius atque ordinatius conversari possetis. Hec et hiis similia illa dicente, aliqui eorum quorum conscientia corrupta erat statim prebuerunt assensum.

Alii vero hec omnia surda aure transibant et rationes prelatas in medium acutis responsionibus refellebant, non minus isti quam illi suffulti testimoniis scripturarum. Sed videns Avaritia quod non posset suum adimplere desiderium ex ipsis, mutavit consilium ut impleret pro-

positum. Vocavitque Accidiam, que bona est negligere inchoare et inchoata perficere et statuit fedus cum ea et pactum pepigerunt contra istos. Non erat ei nimis familiaris nec stricte coniuncta, tamen in malum libentius convenerunt in unum, sicut olim Pilatus et Herodes adversus salvatorem. Et inito consilio infremuit Accidia et facto impetu cum satellitibus suis fines eorum ingressa est, et totis viribus arma sua deducens caritatem eorum extinxit, et in torporem vertit eos. Sicque parum a pusillanimitate spiritus absorti facti sunt tanquam mortui a corde. Ceperunt deinde ad queque Egyptiaca que derelinquerant suspirare, et que corde magnifico contempserant turpiter requirebant. Incedebant tristes viam mandatorum Domini et corde arido ad quequam iniuncta currebant. Deficiebant sub oratione et propter inopiam spiritus vix poterant respirare. Rara compunctio erat eis, nulla contritio, obedientia plena murmure, cogitatio animalis, letitia dissoluta, pusillamis tristitia, sermo incautus, risus facilis. In vultu ylaritas, in incessu vanitas, vestis mollis et delicata studiose incisa et studiosius consuta, sompnus multus, cibus superfluus, potus intemperatus. Nugas et truffas et verba proferebant in ventum. Recitabant fabulas, mutabant leges, disponebant provincias et hominum facta diligenter tractabant. De exercitio spirituali nullam curam, nul-

lum studium, de salute anime rara collatio, de celestibus et eternis tepens desiderium. Ceperunt sic obdurati alter alteri invidere, alter alterum provocare et unus alteri dominare, gestiens super fratrem suum crimine pessimo accusabat. Devitabant tristia appetentes in quo vane gauderent, quia vere non poterant. Retenta tamen utcumque specie sanctitatis ne omnino vilescerent, et loquentes sancta miserum conversationem apud simplices occultabant; sed tanta erat eorum interioris hominis dissolutio quod se cohibere non valens apertis inditiis erumpebat foris. Ceperunt denique viris secularibus adulari, et cum eis iungere matrimonium ut excuterent bursas eorum, et amplificarent edificia et multiplicarent ea que penitus recusaverant. Vendebant verba divitibus et matronibus salutationes, curias regum ac principum omni studio frequentabant, ut iungerent domum ad domum, et agrum agro copularent. Et nunc magnificati sunt et ditati, confortati sunt in terra qui de malo ad malum egressi sunt et dominum non cognoverunt. Ceciderunt dum allevarentur, prolapsi sunt in terra ante nativitatem, et inde dicunt michi — Sumus amici tui. Dolens dolebam ego de quibusdam magis, quia cum in seculo satis fuissent miseri et contempnibiles postquam venerunt ad me divites facti sunt. Et impinguati et incrassati fortius ceteris recalcitrant deridentes me. Ipsi certe vita ipsa puta-

bantur indigni, egestate et fame steriles. Qui mandebant herbas et arborum cortices, squalentes calamitate et miseria, nunc non sunt contenti comuni vita, sed segregant semetipsos sine timore se ipsos pascentes, quorum conversatio superflua queritando satis ceteris est molesta, affectantes honorem inter Christi discipulos. Qui in seculo etiam inter notos contempnibiles erant, qui cum ordeaceo pane et acqua sepe carebant et esse sub sumptibus delitia reputabant, filii stultorum et ignobilium en intra penitus non parentes ad meas miserias devoluti sunt. Abhominantur me et fugiunt longe a me et faciem meam conspuere non verentur. Contumelias et terrores passa sum ab eis, et qui erant pacifici mei et custodientes latus meum insultabant michi, verecundabantur de me, et tanto magis abiciebant me quanto meo beneficio ditatos se fore sciebant ita ut nomen meum dedignerentur audire.

Dolens dolebam ego et dicebam ad eos — Revertimini filii recedentes et sanabo adversiones vestras. Cavete ab omni avaritia que est ydolorum servitus, quoniam avarus non implebitur pecunia. Memoramini pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuisti passionum. Nolite fieri substenctonis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem anime. Irritam quis faciens legem Moysis sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto ma-

gis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum dixerit in quo sanctificatus est et spiritui gratie contumelia fecerit? Redite ergo prevaricatores ad cor quia non in habundantia cuiusquam vita est, ex hiis que possidet. At ipsi indignates dicebant — Vade o misera, recede a nobis. Semitam viarum tuarum nolumus. Et aio ad eos — Misereminі mei, misereminі mei, saltem vos amici mei. Quare persequamini me sine causa? Numquid non dixi vobis quia mei ac vestri mores non convenerent? En penitet me vidisse vos. Et factus est sermo Domini ad me dicens — Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueam te. Ipsi filii irritatores sunt et nolunt audire te, quia nolunt audire me. Factum est eis cor incredulum et exasperans: recesserunt et abierunt, non enim abiecerunt te sine me. Tu enim hos docuisti adversum te, et erudisti eos in caput tuum quia nisi assumpsissent te numquam sic ditati fuissent. Simulabant diligere te, ut sic beneficiati recederent. Propterea cum temptatione adversa aversi sunt et apprehendentes mendacium noluerunt reverti. Ne interum credas eis cum locuti fuerint tibi bona, quia ipsi contempserunt te et querent animam tuam. Ne assumas laudem et orationes pro eis, quia non exaudiam te, etenim abieci eos quia ipsi spreverunt te.

Ecce, fratres, retexui vobis longi sermonis parabolam ut procedant palpebre gressus vestros et veritatis quid agere debeatis. Periculosum est valde retrospicere et illudere Deo. Demones estote uxoris Loth et nolite omni spiritu credere. Confido tamen de vobis, karissimi, quia magis in vobis quam in ceteris video meliora et viciniora saluti, quum videmini omnia penitus abiecisse, de omnibus penitus vos exornasse. Et de hiis omnibus efficacissimum argumentum est michi montis huius ascensio, ad quem pauci unquam attingere potuerunt. Sed dico vobis, amici mei, quod multorum malitia bonorum virtutem michi faciunt esse suspectam et sub vestimentis ovium lupos rapaces frequenter experta sum. Cupio certe te unumquemque vestrum sanctorum imitatorem effici, qui fide et patientia hereditaverunt me. Sed quia timeo ne vobis sicut et ceteris contigat, salutare do vobis consilium, ne videlicet velitis sicut in principio altiora et secretiora contingere, sed paulatim proficientes, Christo duce, tandem perveniatis ad summa. Videte ne postquam stercora vilitatis ad radices vestras fuerint missa inveniamini steriles, quia nichil aliud preterquam securis apponitur. Nolite ex toto affectu vestro credere quem nunc habetis, quia procliviores sensus homines sunt ad malum quam ad bonum agendum et facile ad consueta revertitur animus licet ab

illo quando sit elongatus multum. Scio enim quod ex fervore nimio levissima omnia vobis videntur, sed mementote quod dicitur — Quia ecce qui serviunt et non sunt stabiles, et in angelis suis repperit pravitatem. Primum quidem ad portandum omnia dulcissima vobis existunt, sed paulo post securitate accepta de collatis beneficiis incuriam amictetis. Putabibis quia qua hora vultis in ipsam redire et primam reinvenire consolationem possitis, sed negligentia semel admissa non de facili extirpatur. Declinabit deinde cor vestrum ad alia, sed ratio reclamabit ut redeatis ab priora, sic conversi in torporem et accidiam spiritus volatilia excusationum verba protendetis dicentes — Non possumus esse sicut in principio fuimus fortes et nunc alia tempora currunt, nescientes quid dicere, quia cum consumatus fuerit homo tunc incipiet. Erit tamen in animo vestro semper ista vox sic dicens — Cras cras reverterem ad virum priorem, quia melius nobis tunc erat quam nunc. Ecce predixi vobis plura fratres et multa habeo vobis dicere que non potestis portare modo. Veniet hora cum palam vobis exponam omnia supradicta.

Ad hec beatus Franciscus cum fratribus suis pronus in terram cecidit gratias agens Deo et dixit — Placet, domina nostra, quod dicis, nec in omnibus que locuta es aliqua reprehensio esse potest. Verum est sermo quem audivimus in terra

nostra super sermonibus tuis et super sapientia tua. Et multo maior est sapientia tua quam rumor quem audivimus. Beati viri tui et beati servi tui; hii qui sunt coram te semper et audiunt sapientiam tuam. Sit dominus Deus tuus benedictus in secula, cui placuisti in sempiternum et dilexit te et constituit te reginam ut faceres misericordiam et iudicium in servis tuis. O quam bonus et suavis est spiritus tuus, corripiens errantes et peccantes admonens. Ecce domina per caritatem regis eterni qua dilexit te et per illam qua diligis eum, te obsecramus ut non fraudes nos a desiderio nostro, sed facias nobiscum iuxta misericordiam tuam et mansuetudinem. Magna enim sunt opera tua et inenarrabilia, propter hoc indisciplinate anime errant a te et sola incedis undique scropulosa ut castrorum acies ordinata et non possunt tecum morari insipientes. Sed ecce nos servi tui sumus et oves pascue tue. In eternum et in seculum seculi iuravimus et statuimus custodire iudicia iustitie tue.

Commota sunt ad hec viscera domine Paupertatis, et sicut proprium est ei misereri semper et parcere ultra se continere non valens cucurrit et amplexata est eos ac pacis osculum unicuique prebens dixit. — Ecce jam venio fratres et filii mei vobiscum, sciens me de vobis lucraturam quam plures. Beatus autem Franciscus non

se capiens pre letitia cepit laudare alta voce Omnipotentem qui non derelinquit sperantes in se dicens — Benedicite dominum omnes electi eius, agite dies letitie confitemini ei etc. Et descendentes de monte duxerunt dominam Paupertatem ad locum in quo manebant, hora enim quasi sexta.

Et preparatis omnibus coegerunt illam comedere secum. At ipsa — Ostendite, inquit, michi primum oratorium, claustrum, capitulum, refectorium, coquinam, dormitorium et stabulum, pulcra sedilia, expolitas mensas et domos immensas. Nichil enim horum video nisi quod cerno vos ylares et iocundos, superabundantes gaudio, repletos consolatione ac si omnia expetectis suppeti vobis ad votum. Ipsi quidem respondentes dixerunt — Domina et regina nostra, nos servi tui ex longo itinere fatigati sumus, et tu nobiscum veniens non modicum laborasti. Comedamus ergo prius si iubes et sic confortati ad nutum tuum omnia implebunt — Placet quod dicitis, ait. Sed iam afferte aquam ut manus nostras lavemus et sindones quibus tergamus eas. Illi vero citissime obtulerunt medium quoddam terreum vasculum, quod perfectum non erat ibi, plenum aqua; et vergentes in manibus eius respiciebat huc atque illuc pro sindone: cumque non invenisset eam, unus obtulit ei tunicam qua indutus erat ut cum ea tergeret sibi manus.

Ipsa vero cum gratiarum actione illa suscipiens magnificabat Deum in toto corde suo, qui talibus eam assotiavit hominibus. Deinde duxerunt eam ad locum in quo mensa parata erat. Quo cum fuisset perducta respexit et nichil aliud videns quam tria vel quatuor frusta panis ordeacei et furcei posita super germina vehementer admirata est intra se dicens — Quis unquam vidit talia in generationibus seculorum? Benedictus tu domine Deus cui est cura de omnibus. Subest tibi posse cum volueris et docuisti populum tuum per talia opera placere tibi. Sicque consederunt penitus gratias agentes Deo super omnia dona sua. Jussit itaque domina Paupertas apportari cocta cibaria in scutellis. Et ecce allata est scutella una plena aqua frigida, ut intingerent omnes in ea panem. Non enim erat ibi copia scutellarum aut coquorum pluralitas. Petijt aliquas saltem herbas odoriferas crudas sibi preberi; sed ortolanum non habentes et ortum nescientes collegerunt in silva herbas agrestes et posuerunt coram ea. Que ait — Parum salis afferte ut saliam herbas quia amare sunt. — Expecta inquiunt, domina, quoadusque civitatem intremus et afferramus tibi si fuerit qui prebeat nobis. — Prebete inquit michi cultellum ut emundem superflua, et incidam panem qui valde durus et siccus est. Dicunt ei — Domina non habemus fabrum ferrarium qui faciat nobis

gladios. Nunc autem dentibus cultelli vice utere, et postea providebimus. Et dixit — Et vinum aput vos est aliquantulum? Responderunt illi dicentes — Domina nostra vinum non habemus, quoniam initium vite hominis panis et aqua, et tibi bibere vinum non est bonum, quia sponsa Christi vinum debet fugere pro veneno. Postquam exaturati sunt, magis exultantes inopie gloria quam essent rerum omnium habundantia, benedixerunt domino in cuius conspectu tantam invenerunt gratiam et duxerunt eam ad locum in quo quiesceret quia fatigata erat. Sicque super nudam humum nudam se proiecit. Petijt quoque pulvinar ad caput suum. At illi statim portaverunt lapidem et supposuerunt ei. Ista vero quetissimo sompno ac sobrio dormiens, surrexit festinanter petens sibi claustrum ostendi. Et adducentes eam in quodam colle ostenderunt ei totum orbem quem respicere poterat dicentes — Hoc est claustrum nostrum, domina. Jussit ipsa penitus consedere et verba vite locuta est ad illos dicens.

— Benedicti vos filii a domino qui fecit celum et terram, qui tanta caritatis plenitudine in domo vestra me suscepistis, ut visum sit michi hodie esse vobiscum tanquam in paradiso Dei. Propterea repleta sum gaudio, superhabundo consolatione. Et quia tantum venire tardavi veniam peto. Vere dominus est vobiscum et

ego nesciebam. Ecce quod concupivi iam video, quod desideravi iam teneo, quia illis sum iuncta in terris qui michi ymaginem representat eius cui sum desponsata in celis. Benedicat dominus fortitudini vestre et opera manuum vestrarum suscipiat. Rogo et multum deprecor vos tanquam filios karissimos ut perseveretis in hiis que spiritu sancto docente cepistis, non deserentes perfectionem vestram sicut est consuetudinis quibusdam, sed evasis cunctis laqueis tenebrarum semper ad perfectiora nitimini. Altissima est perfectio vestra super hominem, super virtutem, et antiquorum perfectionem illustrat lumine clariori. De regni celorum possessione nulla sit cunctatio vobis quia arram future hereditatis iam tenetis et pignus spiritus iam suscepistis, signati signaculo glorie Christi, respondentes per omnia gratia sua ille prime sue scole quam in mundo veniens congregavit. Quod enim illi fecerunt in presentia eius hoc vos totum in absentia operari cepistis, et non est quod de re aliqua vereamini. Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Non deterreat vos magnitudo certaminis et laboris immensitas, quia magnam habetis remunerationem. Et aspicientes in autorem et conservatorem omnium bonorum dominum Jhesum Christum qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta tenete spei vestre confessionem indeclinabilem. Currite per pa-

tientiam que maxime vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem. Potens est enim Deus que supra vires cepistis gratia sua sancta consumare feliciter, quia fidelis est in promissionibus. Nichil inveniat in vobis gradum qui operatur in filios diffidentie, nichil inveniat dubium, nichil inveniat diffidens ne sue pravitatis contra vos exercende de vobis recipiat argumentum. Nam superbus est valde et superbia eius et arrogantia eius plusquam fortitudo eius. Magnam iram habet de vobis et universe calliditatis sue in vos arma convertit et malitie venenum nitetur effundere, utpote qui iam reliquos debellando devicit et deiecit, vos supra se respiciens dolet. In conversione vestra, karissimi, celi cives magna celebrant gaudia et coram eterno rege nova cantica cantaverunt. Gaudent angeli in vobis et de vobis, quia dum per vos multi virginitatem servabunt et castitate fulgebunt, superne civitatis implebuntur ruine ubi virgines sunt celebrius collocandi, quia qui non nubent nec nubentur erunt sicut angeli Dei in celo. Exultant apostoli videntes suam renovari vitam, predicari doctrinam, sanctitatis precipue per vos ostendi exempla. Letantur martires expectantes sacri sanguinis effusione eorum representari constantiam. Tripudiant confessores scientes frequenter eorum victoriam de inimico rememorari in vobis. Jubilant virgines sequentes agnum

quocumque ierit, scientes suum numerum per vos augeri cotidie. Tota denique celestis curia exultatione repleta, qui novorum concivium cotidianas celebrat solempnitates et ad odorem orationum sanctarum ascendentium de hac valle continue resperguntur. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, pro qua vos tam miserabiles estis effecti, facie ad quod venistis ad quod ascendistis de fluminibus Babilonis. Suscipite humiliter gratiam vobis oblatam digne utentes ea per omnia semper ad laudem gloriam et honorem eius, qui mortuus est pro nobis, Jhesus Christus dominus noster, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat vincit et imperat, Deus eternaliter gloriosus per omnia secula seculorum Amen.

Propterea quod Franciscus emulator similitudinis Jesu a sue conversationis primordio ad sanctam Paupertatem querendam et omni studio secundum Christi similitudinem observandam totum suum convertit conatum, nihil dubitans adversi, nihil timens sinistri, nullum subterfugiens laborem, nullam declinans corporis egritudinem, si domine Paupertatis possit frui amplexibus. Incepit curiosus explorator inquirere, circuire vicos plateas ecclesie et status singulorum percunctari querens ab eis quantum diligunt evangelicam paupertatem. Erat verbum absconditum audientibus et velut barbarum ab omnibus stantibus ignoratum. Horrebant, solo auditu, et quasi loquenti maledicebant dicentes — Paupertas quam queris tibi sit et filiis tuis et semini tuo post te: nobis det delitiis perfrui et divitiis abundare. Quo audito Franciscus a comunibus statibus — Ibo, ait, ad optimates pon-

tifices et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam domini et iudicium Dei sui, quare forsitam hi comunes ignobiles sunt et stulti domini sui Jesu semitam ignorantes. Set et ipsi pontifices durius responderunt dicentes — Quenam est hec doctrina nova quam infers auribus nostris? Quis potest vivere sine possessione? Numquid tu melior es quam patres nostri qui dederunt nobis temporalia et in temporalibus habundantes, ecclesias possiderunt? Quid est quod dicit nobis modicum paupertas; nescimus quid loqueris.

Admiratus Franciscus et paupertatis spiritus ebrius ad orationis studium convertit se: cepit invocare Jesum paupertatis magistrum — O domine Jesu, ait, ostende mihi semitas tue dilectissime Paupertatis. Scio enim quod testamentum vetus novi fuit figura: illis promisisti, quia omnis locus quem calcaverit pes vester vester erit, calcare est contemnere: paupertas omnia calcat, ergo omnium est regina. Sed domine mi, pie Jesu, miserere mei et domine Paupertatis. Nam et ego eius amore anxior, nec sine ipsa requiescere possum, Domine mi tu nosti qui me de ista inamorasti; sed et ipsa sedet in tristitia ab omnibus repulsa, facta est quasi mulier vidua domina gentium, vilis et contemptibilis dum omnium regina virtutum, et conqueritur sedens in sterquilinio quod omnes amici eius spreverunt eam et facti sunt eius inimici

et ipsa probat iam diu adulteros et non sponsos. Vide, domine Jesu, quia Paupertas pro tanto est regina virtutum pro quanto relictis angelorum sedibus descendisti ad terras, ut ipsam posses charitate perpetua desponsare et omnes perfectionis filios ipsa et ex ipsa et per ipsam perducere. Que et tibi cum tanta fidelitate adhesit, quod et in matris utero inchoavit suum obsequium dum corpus animatum ut creditur habuisti omnium minimum; sed et orientem ex utero in presepio sancto recepit et stabulo, et conversantem in mundo sic omnibus te privavit, ut capitis inclinatorio faceret te carere. Sed et fidelissima consorcia dum ad bellum nostre redemptionis accederes, se est comitata fideliter: et in ipso passionis conflictu individuus armiger adstitit et discipulis recedentibus et negantibus nomen tuum ipsa non discessit sed te tunc cum toto comitatu suorum principum fideliter sociavit. Immo ipsa matre propter altitudinem crucis, que tamen te sola tunc fideliter coluit et affectu anxio tuis passionibus iuncta fuit, ipsa inquam tali matre te non valente contingere, domina Paupertas cum omnibus suis penuriis, tanquam sibi gratissimus domicellus te plus quam unquam fuit strictius amplexata et tuo cruciatu precordialibus iuncta; propter quod nec sibi vacavit crucem polire, nec rusticano more componere: et ipsos clavos ut creditur non in

sufficienti numero vulneribus fabricavit nec ipsos exacuit, nec polivit; sed tres rudes et asperos et obtusos ad iuvandum tuum supplicium preparavit. Et dum sitis morieris ardore ipsa fidelis sponsa sollicite affuit, ut nec modicum aque posses habere sed et per satellites impios tante amaritudinis confecit poculum, quod gustare potius potuisti quam bibere. In cuius igitur sponse strictis amplexibus animam emisisti, sed nec ipsa fidelis sponsa tuis defuit exequiis sepulture, nec tibi aliquid in sepulchro in unguentis in lintheis habere permisit nisi ab aliis mutuatum. Nec hec sanctissima sponsa tue resurrectioni defuit; quia in eius amplexus gloriose resurgens in sepulchro omne mutuatum et adventicium relinquisti: hanc tecum asportasti ad celos mundanis relinquens omnia que sunt mundi: et tunc domine Paupertati signaculum regni celorum ad signandum electos volentes incedere per viam perfectionis semitam reliquisti. O quis non diligat dominam Paupertatem hanc pre omnibus? A te peto hoc privilegio consignari: exopto hoc thesauro ditari, postulo ut mihi et meis in eternum sit proprium, pauperrime Jesu, propter nomen tuum nihil posse sub celo proprium possidere et alienis rebus semper cum usus penuria dum vivit caro misera substentari. Cuius petitioni piissimus annuit, et Paupertatis altitudinem et affectui immisit et intellectui revelavit

et singulari privilegio super omnes sanctos priores in eius prole transfundere voluit, ut eius religioni sancte hoc solum sit proprium nihil posse in eternum sub celo habere proprium sed alienarum rerum vivere stricto usu. Et quia Franciscus sanctam societatem domine Paupertatis et mundane Persecutionis quas Christus legitimas uxores habuit noluit dissociare sed utrasque equa charitate diligere; imo unica quia quasi non sunt due sed una etc.

Hec sunt verba et significata que quidam sanctus doctor huius sancte Paupertatis professor et zelator strenuus in quodam suo tractatu quem de commertio Paupertatis fecit inseruit, gemens et ipse super malis que vidit, qui tamen nostro respectu nichil potuit intueri.

. . . .

. . . .

Dicit ergo vir ille sanctus introducens dominam Paupertatem conqueri de ruina. Surrexerunt quidam in nobis, qui non erant ex nobis quidam filii Belial, loquentes vana, operantes iniqua, dicentes se esse pauperes cum non essent et me quam dilexerant toto corde gloriosi viri de quibus locuta sum, spreverunt et maculaverunt, sequentes viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, homines corrupti

mente et a veritate privati, existimantes questum esse pietatem, homines assumentes sancte religionis habitum, qui novum hominem non induerunt sed veterem palliarunt. Detrahebant senioribus suis et eorum qui sancte conversationis institutores fuerunt vitam et mores in occulto mordebant, vocantes eos indiscretos et immisericordes, crudeles, et me quam assumpserunt dicebant ociosam, insipidam, turpem, incultam exanguem et mortuam. *Et multa dicit doctor ille sanctus ad provocandum gemitum super Paupertatis ruinam quam paulatim cernebat. Sed nunc non alienis indigemus verbis....*

INDICE.

INDICE